



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Illvstrissimis Principibvs Ac Dominis, D. Henrico & VWilhelmo fratribus,
Ducibus Brunsuuicensibus & Luneburgensibus &c. Dominis suis
clementissimis S. D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

ILLVSTRISSIMIS

PRINCIPIBUS AC DOMINIS,
D. Henrico & VVilhelmo fratribus,
Ducibus Brunsvuicensibus & Lu-
neburgensibus &c. Dominis
suis clementissimis

S. D.



ON DVBIVM EST
actum postremum uitae, passio-
nis, mortis et resurrectionis Do-
mini nostri IESV Christi, ty-
pum esse imaginem postremae
aetatis mundi, quae reditum filij DEI ad iudicium
proxime antecessura est. Nam multa in agone
illo ultimo tunc accidisse, quae ceu picturae fuerunt
eorum, quae nunc geruntur ac fiunt, collatio osten-
dit narrationum Euangelicarum, & rerum atq;
historiarum praesentium.

Est autem inter cetera $\pi\acute{\alpha}\theta\omicron\varsigma$ ingens & di-
gnum memoria, in precatione discipulorum
euntium in Emaos, qua ad hospitium commu-
ne Christum comitantem eos inuitant, Mane
nobiscum Domine, quoniam ad uespera-
scit, & inclinata est iam dies. Etsi enim nihil
aliud petere uidentur discipuli tunc consternati-
one & metu tristi anxij, quam ut uesperae ac no-
ctis unius tedium leniat ipsis colloquiorum dul-
cedine

A r cedine

EPISTOLA

cedine & grauitate, comes ille itineris facundus
 et eruditus, quem prorsus illi alium esse quam re-
 uera erat, opinabantur. Tamen cum adfirmet Eu-
 angelista, eos postea agnito Domino confessos esse,
 corda eorum nouo & inusitato incendio in ip-
 uisa fuisse ardere, comite isto eis colloquente &
 scripturas enarrante, haud dubie illa tam emphe-
 tica & adfectibus mirandis referta obtestatio, ge-
 mitus fuit Spiritus sancti inenarrabilis, non solum
 uesperae seu noctis unius praesentiam his duobus
 petentis, sed simul pro uniuersa Ecclesia inter-
 cedentis, ne hanc sub finem & uesperam senescen-
 tis, ac quodammodo fatiscantis mundi, discessu suo
 filius Dei deserat aut destituat. Ac sine ulla du-
 bitatione, quod tunc in istis precatus est, quod
 tunc ceu ὑπόγραμμα & exemplar precum
 praescripsit Ecclesiae, idem nunc etiam imminente
 uera & propediem ad futura mundi uespera ac
 consummatione in piorum plurimorum pectoribus
 petit & iterat assidue & ardentissime: Man-
 nobiscum Domine, quoniam ad uespera-
 scit & inclinata est iam dies.

Ad has ergo preces publicas et conciones Ec-
 clesiae & Spiritus sancti interpellantis pro ea, ut
 Paulus inquit, Gemitibus inenarrabilibus, instans
 num est pios singulos sua etiam uota adiungere,
 & orare filium Dei Dominum nostrum Iesum
 Christum.

DEDICATORIA.

Christum, ut Ecclesiam, quam his postremis mundi temporibus colligere inter nos immensa bonitate coepit, restituta & repurgata uoce Euangelij, quae antea horribilibus tenebris obscurata & obruta fuerat, clementer seruet, gubernet, ac protegat, Et ne ab ea in confusionibus horum temporum, uel postrema uniuersali seculorum omnium consumatione, uel certè nocte alia & caligine tenebrarum & furorum horribilium ingruente, discedat, Neue Euangelij sui lucem inenarrabili misericordia in Germania accensam, extinguat, aut euanescere nobis patiatur. Sed ut propter nomen ac gloriam suam semper sit nobiscum, Et semen sanctum sibi inter nos seruet, sicut promissit inquam: Ecce uobiscum sum usq; ad consumationem seculi. Item, Non relinquam uos orphanos.

Ac ut de precatione tali subinde singuli & omnes cogitemus, eamq; quotidie ad DEVM faciamus, tempora nos admoneant, Et his congruentia uocis diuinae de fine mundi testimonia.

Esse enim nunc uesperam illam & senectam seculorum, de qua uaticinia plurima uocis diuinae concionantur, quamq; praesagire Spiritum sanctum in precatione illa diximus, ostendunt non solum ea quae & precesserunt & fiunt quotidie in toto genere humano prorsus ad eum modum

A 3 sicut

EPISTOLA

sicut in oraculis diuinis predicta et recitata sunt, sed etiam supputationes annorum mundi uere et accurate factae, congruentes antiquissimo in Ecclesia uaticinio, quod in libris uetustis traditio domus Eliae uocatur, et his uerbis recitatur.

Sex millia annorum mundus et postea conflagratio.

Duo millia inane.

Duo millia Lex Moysi.

Duo millia dies Messiae, et propter peccata nostra quae multa et magna sunt, deerunt ex his anni, qui deerunt. Nam annus hic à condito mundo est 5523.

Cum ergo sexti millenarij numerus, non futurus sit integer, sicut et ipse filius Dei consolatur discipulos inquam, propter electos abbreviatur dies isti, Finem non procul abesse proorsus non est dubium, Itaque et precatione illa nunc maxime nobis, et Ecclesiae uniuersae opus esse meminerimus, quae et alibi in scriptis Prophetis saepe magno motu et gemitu repetitur, tanquam representante personam Ecclesiae ac suspiria et preces eius nobis praecimente ipso Spiritu Sancto, ut ad societatem inuocationis omnes nos inuitet, Quales illa sunt in Psalmis uoces, usque quod Domine absconderis in perpetuum? Exardeat sicut ignis ira tua, Recordare quam breuis sit uita

DEDICATORIA.

mea, Numquid frustra creasti filios hominum?
 Vbi sunt misericordiae tuae antiquae, quas iurasti
 Dauid in Veritate tua? Memor esto Domine op=
 probrij seruorum tuorum, quod multarum genti=
 um portavi in sinu meo, Quo exprobrauerunt
 inimici tui Domine, quod exprobrauerunt uesti=
 gij Christi tui. Item, Ne proijcias me Domine
 in tempore senectutis, cum defecerit uirtus mea,
 ne derelinquas me, Deus ne elongeris à me. Deus
 meus in auxilium meum festina.

Me quidem non tantum priora illa quae reci=
 tati commonefecerunt, sed & causa aliae moue=
 runt, ut in hanc commemorationem ingrederer.
 Cum enim libelli huius editio in tempus illud in=
 cidisset, quo Ecclesia toto terrarum orbe letissi=
 mam resurrectionis Christi memoriam publicè
 celebrat, in cuius commemoratione & hac pre=
 catio recitatur, Et recordarer uiri incompara=
 bilis, sapientia, doctrina, pietate & uirtute clarif=
 simi, Domini Philippi Melanthonis, quem circa
 hoc ipsum tempus ante annū à nobis ad Academi=
 am caelestem Filius Dei Dominus noster IESVS
 CHRISTVS, magno quidem & aeterno ipsius
 cum commodo & faelicitate, Sed nostro & Ec=
 clestiae uiuere cum detrimento & dolore maxi=
 mo abduxit, Gemitus me eius, quos tempore ta=
 li et in praelectionibus publicis, et priuata sua in=
 A 4 uocatione,

EPISTOLA

uocatione, solebat pro Ecclesia fundere ardentissimos, de hac potissimum precatione admodum ruerunt, Et quidem uerba ipsa quae uersibus eruditissimis ipse expressit, ac subinde nobis auditoribus suis inculcauit.

Vespera iam uenit nobiscum Christe memento,
Extingui lucem, ne patiare tuam.

Cum ex crebris & assiduis eius exhortationibus & obtestationibus, ita firmiter animo meo infixata sint, ut non sperem unquam eorum in mente mea memoriam intermorituram esse, alio me argumento tali tempore uti non permiserunt.

Nam etsi nec uespera illa, seu senectus mundi, momentis omnibus ruinam minitantis, aut pericula reliqua, quibus exposita est Ecclesia innumerabilibus, precationem talem requirerent, Tamen uel propter unicam hanc iacturam, quam amissio uiro illo uerè diuino, Ecclesia fecit irreparabilem, uotis assiduis hæc ipsa precum formula subinde repetenda erat, Quid enim portendant ac ueluti presagiant talium uirorum subite iacturae, qualis reuera Philippi fuit, ex Iesaiæ uerbis intelligi potest capite 57. Iustus perit & non est qui recogitet in corde suo, Et uiri misericordiae colliguntur, nec est qui intelligat, A facie enim malitiæ colligitur iustus, In pace decedunt & requiescunt in cubilibus suis, qui in directione ambulauerunt.

DEDICATORIA.

*ularunt. Item cap. 26. Vade populus meus in-
tra cubilia tua, claude ostia tua super te, abscon-
dere modicum ad momentum, donec pertransseat
indignatio.*

*Ac quæ dicit Isaias omnium temporum histo-
riæ comprobant, Nunquam ferè insignes in Ec-
clesia Doctores deceßisse, quin mox horrendæ in
genere humano, pœnæ ac confusiones subsecutæ
sunt, ut Ambrosij mortem horribilis dilaceratio
Pannoniæ, Italiæ & Hispaniæ facta per Gotthos,
Vandalos & Hunnos mox subsecuta est. Augusti-
nus cum obsessa à Gensericò Vandalorum rege
urbe Hippone, cuius fuit Episcopus, spectator fu-
isset magnarum calamitatum, mense tertio obsi-
dionis mortuus & à DEO tanquam ante tem-
pestatem horribilem abductus est, Et mox dire-
ptio urbis, imperij ruina & Ecclesiarum tristis
dilaceratio consecuta est. Cum enim Gensericus
Arianus esset, magnam aduersus rectè sentientes
seuitiam exercuit, Et post Vandalicorum regum
impictatem, citò Aphricam uniuersam Mahome-
tici furores oppresserunt & compleuerunt.*

*Nec nostræ ætati exempla defunt, Nam quæ
& Germaniæ & Ecclesiarum rectè sentientium
quassatio mortem reuerendi uiri D. Doctoris Lu-
theri, eo ipso anno secuta sit, quo ipse extinctus
est, omnes meminimus. Imò hic ipse annus quo*

A 5 Philip^o

EPISTOLA

Philippum amissimus tragica exempla multa omnium propemodum regnorum & Ecclesiarum continet, quæ & ipsa pœna sunt horribiles & partim signa, partim ἀφορμαὶ seu causæ secularum paulo post pernarum & calamitatum magis tristium, Ac de his quæ iam & in prioribus regnis, & plerisque Ecclesijs acciderunt, existimo ita intelligentes omnes sentire, eiusmodi esse, ut multis retrò seculis uix euenisse uideantur similia.

Leit
Nec assentior crudelibus hypocritis, quorum aliqui opinantur iacturam uel nullam uel certe non magnam fecisse has Ecclesias tali uiro amissa. Alij uerò qui & ante eius mortem isto se apophtegmate oblectarunt, Non posse in Ecclesijs concordia rationem miri, nisi Philippo sublato, Nunc non solum letantur & exultant, euenisse tandem quod toties sperarunt & optarunt, Sed etiam mortuum, & haud dubiè in sinu filij Dei requiescentem, & letissimo conspectu Dei, & electorum atq; beatorum omnium fruentem, crudeliter lacerant & calumnijs conspuunt.

Hanc tam flagiciosam & sceleratam ingratitude, pro tot uiri illius meritis, laboribus, curis, doloribus, erumnis & periculis, quæ Ecclesia uniuersa causa sustinuit, & pro tot scriptis & monumentis utilissimis ac pijs, imò non ipsius meritis

DEDICATORIA.

us meritis aut laboribus, sed beneficijs talibus quibus immediatè Deus senectam Ecclesie immensa misericordia honorauit, si quis cogitat sine gemitu et metu poenarum secuturarum, quouis Bardo stupidior, aut adamante durior est. Scriptum est enim non recedet malum à domo ingrati. Cumq; ingratitude illa non solum erga uirum tantum, sed immediatè erga Deum publicè & impunè exerceatur, poenas secuturas esse, nec desituras donec iusticiæ diuinæ publicè satis factum sit, prorsus non dubitandum est.

Itaq; uel sola illa rabies, & poenarum impendentium metus, exprimere pijs mentibus assiduam iterationem precum illarum debebat, Mane nobiscum Domine, quoniam aduersa sperat & inclinata est iam dies. Ne accendas totam iram tuam Domine, sed in ira misericordiae tuae recordare: propter te, propter te facito, ne blasphemaris.

Cogitavi eadem & inter deliberandum editurus ne essem hunc ipsius commentariolum, quem ante decennium ex praelectionibus eius publicis exceptum, hactenus asseruaueram, Ac saepe me ab editione eius retraxit ac deterruit recordatio dicti Salomonis Prouerb. 25. Acetum super nitrum canens carmen cordi prauo.

Cum enim uiderem et intelligerem nihil profecisse.

EPISTOLA

fecisse optimum Philippum uiuentem, editis tot
 pijs & utilibus monumentis ac lucubrationibus,
 Et constanter in statione sua pro Ecclesia ac sa-
 lute eius publica perseuerantem, & quasi exsu-
 bantem, non solum laborando, sed & preces ce-
 dentissimas subinde ad Deum fundendo, quo minime
 ab illorum rabie & morsibus impeteretur, qui
 semel eum odisse & insectari ceperant. Cumque
 apud hos, post mortem, non solum non remissum
 odij aduersus eum acerbitatem, sed etiam auctam
 & exulceratam esse cernerem, ualde metui ne
 irritati illi ipsi, editis tot pijs eius lucubrationi-
 bus, fieret rabiosiores, Quod figura elegantissima
 pingit Salomon, Vt enim nitri mordacitas irrita-
 tur & adiuuatur aceto, ita uenenate & liuide
 nature, bona doctrina, aut admonitionibus non
 placantur aut sanantur, sed magis alienantur &
 accenduntur. Ac ut magis id metuerem hac
 etiam res fecit, Quia scriptum eiusmodi est, cuius
 editionem author suo consilio distulit, uel quod
 breuiorem existimaret commentariolum, quam
 quem publice extare uellet, uel quod sperauit se
 ante mortem Epistolam hanc, quam præ cæteris
 dilexit, publicè adhuc suo more repetiturum &
 plenius enarraturum esse.

Itaque ne nouis calumnijs uel ipsum, uel me etiam
 am, qui ista edidissim, hoc genus hominum late-
 rare,

DEDICATORIA.

raret, ualde mihi metuendum fuit, praesertim cum scriptum sit, Ne detis sanctum canibus, Et ne margaritas projiciatis porcis. Item Auribus stulti ne loquaris.

Sed haec me cogitantem ac metuentem, alia tamen è contrario spes & cogitatio erexit, & in sententiam edendi operis huius adduxit, Quia me illa ipsa, quam initio recitavi, precatio & similes alibi repetitae promissiones commonefecerunt & confirmarunt, semper fore in genere humano aliquam ueram Dei Ecclesiam, & aliquorum pie & rectè sentientium consensum ac coniunctionem, & huic subinde adfuturum Filium Dei, Nec ab hoc quamuis exiguo, deformi ac misero cœtu discessurum, antequam ad iudicium uisibiliter rediturus est, Sicut dubitare non potui & promissiones eius certissimas & hunc Spiritus sancti gemitum, tunc in istis clamantis, certo exauditum esse, & exaudiri omni tempore pijs eum coram Deo fundentibus.

Itaq; huius sancti & pij agnitis rationem potius habendam duxi, quam inuidorum & obtrectatorum, Quorum clamores ut uiuens Philippus magno & excelsio animo, tanquam canum rabiosorum latratus contemnere solebat, Ac nihilo secius uel segnius studere, ut gloriam Dei & Ecclesias uocem Euangelij incorruptam amplectentes,

tes,

EPISTOLA

tes, scriptis utilibus ornaret, & ad usus necessarios instrueret, Et omnibus etiam improbis & flagitiose ingratis, inseruiret ac benefaceret, Ita existimaui & ego rectius facturum me, si aliquod periculum potius inuidie & calumniarum subire non uererer, quam si committerem, ut hic uicilis & eruditus commentariolus tot bonorum & doctorum uirorum precibus à me flagitatus, inter cetera eius scripta ac monumenta non exstaret, nec ijs benefaceret, qui beneficia Dei, præsertim Ecclesie per Philippum reuerenter agnoscunt & admirantur, præsertim cum eiusmodi sit, qui & à sene non multò ante mortem scriptus est, & de ijs rebus scriptus, quæ tunc & commouerunt orbem terrarum, & ipsum non leuiter excruciarunt & excruciarunt, Et omnibus necessariae sunt, qui Ecclesie uerae ciues esse decreuerunt.

Speraui etiam intelligentes et bonos non estimatos magnitudinem aut prolixitatem commentarij, quæ exigua est, sed rerum & explanationis bonitatem et perspicuitatem, quæ ut in alijs eius monumentis eximia, Ita & in hoc quantumuis breui & exili enchiridio est admirabilis, Cumq; de piorum laboribus & lucubrationibus scriptum sit, Non erit labor uester in Domino, confido & Philippi lucubrationes ad posteritatem

DEDICATORIA.

steritatem, si qua futura est Ecclesia, fremontibus ac inuidia rumpentibus omnibus eius obtrectatoribus duraturas ac profuturas esse, Ac si qua erit pia posteritas, haud dubie cuculos illos ingratos, qui uiuentem ac mortuum tanta turpitudine lacerarunt, execrabitur, ipsumque ut promeruit uenerabitur.

Vestrae uero Celsitudini Principes illustrissimi inscribere Commentarium hunc uolui, cum ut C. V. autoritate ac patrocinio munitus ac commendatus, prodiret, Tum quod existimaui honorificum C. V. & nunc & apud piam posteritatem fore, si aliqua in parte operum huius uiri C. V. nomen extaret. Cum enim uiuentem Philippum C. V. de indicatione uirorum clarissimorum D. Baldasari Clammeri, & D. D. Ioachimi Molleri, qui C. V. a consilijs sunt, & Philippo fuerunt familiarissimi & coniunctissimi, & uirtutum eius ἀγοπται ac testes certissimi, haud dubie maximi fecerit & amarit, mortui etiam patrocinium C. V. non defugituras esse confido. Cumque tot uirorum Principum sapientia, pietate & uirtute excellentium nomina in scriptis ipsius extent, quibus ipse uel sua uel aliorum suorum παρὰ αὐτῶν ac collegarum opera inscripsit, & aliquorum etiam memoriam ac nomina orationibus eruditissimis ornauit & illustriora

EPIST: DEDICAT:

striora fecit, putavi & V. C. collegio illi excel-
lentium Principum adnumerandam esse, Quod à
me factum simplici ac bono studio, ut C. V. in
partem optimam interpretetur, ea qua debet re-
uerentia à C. V. peto. Et oro Filium DEI
Dominum nostrum IESVM CHRISTVM,
custodem & caput Ecclesiae, ut adsit nobis &
semper sibi in his regionibus aeternam Ecclesiam
colligat, eam seruet & protegat. Ac C. V. sa-
lutarem gubernationem tribuat, & animi ac
corporis vires confirmet. Data Vitebergae die
19. Aprilis, quo ante annum reuerendus & cla-
rissimus uir Philippus Melanthon de Ecclesia
DEI optimè meritus, ad Academiam celestem
abductus est. Anno. 1561.

C. Vestrae

Seruus

Paulus Crellius
Theologiae Doctor.